~~1070 g. 8~~
3

SERENISSIMO

potentiſsimoque Monarchæ
Iacobo *Magnæ Britanniæ*,
Franciæ, & Hiberniæ, regi
Magnam Britanniam.

K Bastard (Thos.)

LONDINI,
Excuſum impenſis Ioannis Barneſ.
1605.

BRITISH
MUSEUM

Lectori candido.

Habes (Lector) tenuis ingenij fœtum: quem ne ſupprimerem paucorum auctoritas pervicit. ſi quid in divulgato opere placebit, id tu typographo non debebis: qui prælum ita ad vulgarem linguam accommodat, vt Latinas Muſas ne probet quidem. ferendum id ſanè eſſet, ſi ſcriptores quotidiani, aut argumento aut turbâ tolerabiles. Ego verò laudem ex his mihi nullam expecto. nam quæ mihi exiſtimanda approbatio eſt, qui non poſſum niſi rariſſimo lectori diſplicere? tàm pauci ſunt in hoc genere qui ſcribant, quàm ſolebant eſſe, qui primas tulerunt. hoc vnum præ me fero. qui regi noſtro clementiſſimo placere ſtudui: cupio etiam & tibi. Vale.

Thomas Baſtard.

In auctorem operis.

DVM Regum celebras decus, Albionúmq; Monàrcham
conſona, Pieria, tollis in aſtra, tuba
Phœnicem Europes Iacobum*: quo nihil ingens*
ſplendidiùs cælum, doctiùs orbis habet.
Dum canis hunc, multoqúe tumens præcordia Phœbo
Innumera, innumeros, ſecla per & populos
Tranſmittis, terræqúe poliqúe rotatilis orbes,
Avia longæva viſere tecta Deæ.
Te quoque non vno monimento, Diva loquetur,
teſtatum ſcriptis nomen vbique tuis.
Sed nec Atlantea pudeat ſuccumbere moli
Quâ minor ipſe Aön, Pindus, & ipſe Helicon.

Edvardus Michelborne.

Sereniſsimo potentiſsimoque Monarchæ, Iacobo, *Magnæ Britanniæ*, Franciæ, & Hiberniæ, *regi, defenſori fidei.*

SCRIPTVM iampridem libellum (Sereniſsime Princeps) & à regia veſtra celſitudine clementèr acceptũ, dignare etiam typis expreſſum & aliqua acceſsione facta, auctiorem. non illum quidem tuæ Maieſtati parem: nam quis ſtilo aſſequi poſsit tantæ molis argumentum? non potui teſtatiorem facere immenſam lætitiam, quæ nos in ſumma rerum omnium deſperatione conſtitutos, ad ipſum fælicitatis faſtigium evexit: quàm ſi ab orbitate; & dolore noſtro exordium caperem. nec vereor ne licentiæ, aut fictioni quis tribuat, quòd Deum patrem loquentem intro-

[illegible], ipſumque Chriſtum pro derivato in nos beneficium [illegible]: Deo te iubente (Rex invictiſſime) Deo favente, Deo te protegente & fulciente, deploratam, & luctuoſam rempublicam aggrederis. Totum te ex magna Dei miſericordia fluxiſſe, ipſo ſalutis noſtræ argumento edocti confitemur. ſi quibus hæc igitur inepta videbuntur, eos ad templa, & ſolennes gratiarum actiones provocamus. vive (Rex celſiſſime) tam Deo protectore fælix, quàm patriæ, gentique univerſæ, deſideratus & ſalutaris.

Maieſtatis veſtræ humillimus ſubditus,

Thomas Baſtard.

LIBER PRIMVS.

TV mihi carmen eris, fælicibus editę fatis,
Et iam compoſito multum venerabilis orbe
O Iacobe: tibi musæ ſolennia dona,
Et totum cupidis fundunt Helicona camænis.
Tu qui noſtra, Deus, cælo miſeratus ab alto
Gaudia, ſollicitas, renovas ſuperantia curas:
Æterno ſtabili demiſſum numine donum.
Nulla annis volvenda dies, dulciſsima pacis
Pignora, nulla bonis ferat invidioſa vetuſtas.
Orbarat miſeros, extincta luce, Britannos
Elizabetha, ſuis, iam tandem reddita cælis.
Certa ſalus populo, dum terris nobile ſydus
Fulſit. non illa peregrinus ſoſpite, terror
Concuteret gentem: non diris excita fatis
Præcipitaret agens, civilis teſſera belli.
Qualis oves Paſtor lætas ad paſcua ducit
Ipſe dono dulcis dum mulcet arundinis, illæ
Tuta per intonſos dum carpunt gramina colles.

Ergo læta opibus, ſuperiſqué faventibus, haurit
Anglia, vel quicquid latè circumfluus orbis,
Vel cælum potuit plenis effundere rivis.
Impia iamdudum regnatrix pavit aquarum,
Prodigioſa fera: & capitum ſeptemplice rictu
Immanis, vaſtiqué voragine turgida ventris:
Excidium mundo intentans, ſtelliſqué ruinam.
Illa diem cæca clarum caligine merſit,
Et purum infami citò conſpuit aëra peſte:
Triſtis, & immiſſo ex Acheronte ſatellite, reges
Et populos latè diſcordibus obruit armis:
Victa Caledoniјs tantum nihil obfuit oris.
Quamvis & vicina metu fluitantia regna
Belgarum, horribili quateret concuſſa ruina.
Gallicáque, igne potens & ferro, ſterneret arva.
Quid referam hiſpanas acies, pedamqué petitam
Tot populorum armis, regumq; ingentibus auſis?
Turribus inſtabant pinus, inſtractaqué velis
Æquora, cedenti, incubuere minacia terræ.
Diſiectæ ventis moles, ſenſere profundi
Ingluviem maris, iratiq; incendia cæli.
Non ita ſummotas, tentaverat Anglia Gades:
Aut quas Oceanus circumluit Indicus oras,
Eoas referens gazas prædamqué Molucca,
Eq; novo penitus quæſitos orbe triumphos.
His ſuper, indignis, fæcundo ſydere cælum
Delitias pluit omnigenas, diſtentaq; pleno
Vbere florentes ſaturavit terra colonos.
Vnde ruens, ſubitis, lætos, nox atra tenebris
Deſtituit? quæ nos funeſta repentè procella
Obruit exitio? talémne abrumpere pacem,
Et tantas poterant momenta evertere cauſas

Ecce uno torpet terra omnis languida morbo,
Et chari capitis convulſa dolore gemeſcit.
Quæ cineres capit vrna tuas, ea gaudia noſtra,
Et ſpes, & vitas fatis includit amaris,
O mundi ſerum decus Elizabeta *relicti.*
Mæſta ſepulcrales en tota Britannia honores
Perſolvit, caſumqúe tremunt florentia regna,
Quæ neque finitimæ valuerunt perdere gentes
Importunæ odijs, nec peſtis Turcica, quæ ſic
Sævijt indomutùm, medium bacchata per orbem.
Si flecti poſſet votis immobile fatum:
Emptam ſupplicibus, precibus te redderet orbi,
Quæ caput immota nuper levitate ferebat
Turba ſuperborum: cinereſq; amplexa ſepultæ,
Grata immunditie faſtus conſpergeret omnes.
Te redimat ſparſis cumulis, & fænere toto:
Promet avarus opes, & condita furta, rapaces
Quæ poſuere manus, nec iam improbus ille ſeveræ
Parcet avaritiæ. pro te prece numen olympi
Impius aſsidua & vota pietate moveret:
Hæreret templis, & ſpretis impiger aris.
Quin & bruta tenens iamdudum pectora, brutis
Turpior, & peſte & ſcabie exitioſior omni
(Cui nomen ioculare Deus, cui ludus Ieſus)
Ecce atheos ſubito planetu miſerabilis horret,
Concidit in genua, atq; exundant petræ oculorum
Iamq; Deum tremit, & contemtum numen adorat.
Quid ſummi ſtruit ira patris? quo turbine noſtra eſt
Præcipitanda ſalus? præſenſimus vltima, nec iam
Sanguineis opus eſt cælum ſignare figuris,
Aut ſicco miſcere fretum, aut compage ſoluta
Ima concuſſam radice revellere terram.

Hoſtibus eripimur perituri crimine noſtro.
Stant ſcelerum cauſæ. nec ſic torrentibus vndis
Rura natant, vacuiqúe iacent paſtoribus agri:
Nec deformatis ſic horrent omnia campis,
Cum ſubitus, cælo violento turbine nimbus
Præcipitat, gravidaque diem ſub nube recondit.
Tempeſtas ſcelerum eſt: triſtis ruit omnia latè
Impietas: cedit diris exterrita monſtris
Iuſtitia, & viduas pueroſqúe parentibus orbos
Caſſa patrocinio nequiequam curat inani.
Ipſa rapinarum ſpolijs exhauſta fatiſcunt
Oppida, & indigenis vacuæ cultoribus vrbes.
Nunc inopes vſura vorax, nunc ſicca potentum
Sorbet avarities. Victrix iniuria, quantas
Haurit opes, quantæqúe inhiat violentia prædæ?
Oblato gaudet Regina libido triumpho.
Siccinè parta ſalus miſeris? quid prodere pacem
Cauſidicis, litumqúe indagine cingere plebem
Ignaram, miſerumqúe rapinæ exponere vulgus?
fervent diſcordi fora murmure. conſcia furti
Curia iurgantes meditata fraude refellit.
Nec ſatis, ipſa vorant turpem ſubſellia quæſtum:
Olli abigunt prædam, & rapto potiuntur avari.
Intereà ſurgunt ſolido de marmore tecta
Porticibus celſis, pulſorumquè arva clientum
Fundamenta premunt. intus domus ampla ſuperbit
Luxurijs ſpoliorum. en vana ſorte tumentes.
Siccinè ſlorebunt. Vni per mille ruinas?
Numinis, hinc monitis ſurdi cæleſtibus, ipſum
Proſtituunt, ſpreta iam religione, pudorem.
Dedecori eſt ſacris incumbere. fabula cæli
Vile miniſterium, contemto calcat honore.

Aſpicis hæc paterisqúe pater cæleſtia damna?
Legatis curtæ veſtes, & numine læſo
Barba reſecta iuis, ſtant orbi lumina mundi,
Quos vigilaſſe tibi quid profuit? undique dura
Vrget pauperies, & morte ingratior ipſa,
Contemtus. Similes mundana potentia caſus
Nulla tulit, nec ferre valet, nam ſi ferat, illam
Turbo trahat, rapidíque ruant per inania venti.
Iudicijs contra, & legum mucrone ſevera
Tormentiſq;, armiſq;, & pœna & carcere ſævit.
His ſuper incumbens ſpeculis venator in altis
Excubat, & prædam latè circumſpicit, ille
Involat intactas in opes, & limite rapto
Æquat agros ſternit ſulcos foſſaſque revellit,
Continuatqúe iugis longum coeuntibus æquor.
Nec iam ſufficiunt generoſa examina ſtragi
Heroumqúe domus. Syluis immiſſa profundis
Sic flamma in corylum furit, & vaga flamine primo
Corripit innumeram nemorum ſine nomine plebem:
Mox etiam Fagos & celſa vertice Pinus
Inuolvunt, ſternuntqúe altas incendia Cedros.
Nec duros tangunt miſeranda piacula tan tùm
Mortales, ſolique homines infanda queruntur:
Templa patent ſpolijs: tãtúm non ſydera ſurgens
Noſtra rapina movet: vetitiqúe ſacraria cæli.
Nulla profanatis parcunt incommoda clauſtris;
Intimâque iniuſta cedunt penetralia ſorti.
Hi ſacram ſedem & præconum munera vendũt.
Hi fundis inhiant dotalibus, & ſpoliati
Delubri referunt prædam, ſtant limine nudo
Rari cultares, ſordentqúe precantibus aræ.
Nil aurum veterumve moramur munera regũ

Olim

Olim marmoreis valvis pendentia tanta
Maieſtate, deo ſanctum teſtantia cultum.
Irreparata ſitu ſquallent penetralia, & imbres
Accipiunt, hederæqúe inhoneſtæ, limina lambunt,
Interiora domus, ſummoqúe in culmine bubo
Stridet, per prutas murorum immiſſa feneſtras.
Quis prædæ modus ? aut ipſi violentiùs hoſtes
Quid facerent ? illi dominorum vertere fundo
Tecta ſuperborum poterint, penituſqúe repoſtas
Diuitias rapere, & congeſtam auertere prædam.
Nil vltra in ſanctos fas eſt ſævire pænates.
Precumbunt, paciſqúe inimicæ damna queruntur.
Deficit, in vacuis penetralibus, ipſe ſacerdos.
Ergo artes, duræqúe manus tentantur, & arva
Multo cultores opulentos fænere reddunt.
Hos alit, inſani, ſpolijſqúe inſignibus ornat
Cura fori, titulis illos vigilata ſuperbis
Aula beat : bellis alij ſperare ſalutem,
Sanguineiſqúe, decus magnum expectare trophæis.
Deſertos habet, & diſcrimina in vltima miſſos
Quæ ſacris operanda vacat domus: hoc emit auro,
Hoc adytys raptis, hoc tot viduata rapinis.
At non infando pollutus dæmone, clauſo
Indus in orbe ſedens, ipſiſqúe in faucibus Orci
Inque Acherontæis tenebris : idola colenti
Vana ſacerdoti falſos invidit honores.
Quamvis & pigeat ſpumantum ſanguine triſti
Sacrorum redimantq; boves flagrantibus aris
Toſti homines : illi crudelia ſacra frequentant
Et diro attoniti pendent in numine, tantùm
Impoſtura valet mentitaq; nomina cæli.
Non iacet in Turcis Mahometis vile ſepulcrum

Vnde locuſta volans cæco noctem intulit orbi
Et fumum exhalans picei difflavit Averni.
Templa miniſterio fulgent decorata profano
Et iuvat infamem ploranda inſania clerum.
Ingens illuſis pretium eſt animabus, & illinc
Dona quis iniuſtis indebita ſuſtulit aris?
Ecce ſedet cathedra in celſa, medijſq; triumphat
Templorum in ſpatijs cælorum dedecus ingens
Immortale nefas: quo nullum triſtius orbi
Ima Acheronta malum ſuperas vomuere ſub auras.
Beſtia ſanctorum circumlita ſanguine, reges
Illa ſupraq; Deum tumido ſe vertice tollens.
Cælo bellantes infando enixa gigantes
Partu, circum atræ peſtes, noctiſq; profundæ
Inſidiæ, vigileſq; canum, triſteſq; luporum
Excubiæ, monſtriſq; horrenda informibus umbra.
Calca divitias mundi, & ſervile potentum
Obſequium, & gemmis ſtellata incede ſuperbis
Infamis meretrix, ſtupratiſq; inſere regnis
Turpe iugum: tibi dum timor atq; ingrata ſaluti
Cæca ſuperſtitio parent Zeluſq; cadentum:
Irarum genus omne tibi Cocytus, & arma
Expediat, volucreſq; parentent ſanguine noxæ.
Scilicet vt læti tanta mercede recepta
Dona ferant reges? ſic ſic iuvat ergo perire
Romanumq; hauſtu diro ſorbere venenum?
Summe pater, quo tanta ſalus miſerante, relictas
Defluit in terras, & Tartara rumpit, & ipſum
Corripit in cæcis Erebi penetralibus hoſtem:
Sola tui contemta iacent præconia verbi.
Nec vero vincis, nec cæli luce retecta,
Diſplicet vna ſalus miſeris tantumq; beatis

Eſſe piget, pronos nimium nimiumqúe ſequaces
Mundus & error habet, & aperti ianua Averni,
Et ruit in vetitas immanis turba tenebras.
Si tamen ingratos non immortalia tangunt,
Roranteſqúe ſuper diuino nectare cœli;
Nec vita colimuſve patrem mentiſve ſatorem :
Nec pro terrenis terrena rependere curæ eſt?
Illius hæc quoque ſunt, dextraque datoris ab ipſa
Accipimus memores, rapiunt oblivia noſtra.
His Idola ornant, ſimulacráque luce carentum
Qui cultus finxere ſibi: pretioſáque factis
Dona deis gentile nefas non abnuit, auro
Et gemmis fulgent ſacra dira & munera condunt
Imis inviolata ſub vrnis, impia templa.
Perditus hæc ganeo conceſſa profundit, opúmque
Alea vaſtatrix, & inexaturata libido :
Caré emitur ſcelus, & rerum turpiſſima damno
Luxuries alitur, magniſque ſuperbia creſcit
Impenſis, paretqúe inferno quicquid arator
Inverſa tellure ſecat, quod navita ponto
Emenſo trahit, aut incluſis occupat agris
AEdificans, aſtriſque elata mole minatur.
Iâmque gemens ſcelerum ſub pondere terra nocentes
Suſtinet inuito gremio : iam morbidus aer
Afflatu immundo peſtem bibit: Et ſuper ipſi
Facta averſantur lacrymantes impia cœli.
Rari contremuere pij: Stupet inſcius orbis
Vltima fata timens, flammamque inſtare ſupremam.
Iamq; pater celſum pedibus qui ſignat Olympum
Cui thronus alta vltra cœli laquearia, luce
Clarus inacceſſa, flammaqúe vorace tremendus:
Quem rutilus radijs humilis Sol aſpicit (illum

Nil mortale videt (circumſtant agmine denſo
Syderea mentes cæliq; exercitus omnis:)
Deſpiciens terras, vultu quo turbidus orbem
Aut quatere, excuſſoſq; ſolet verſare colonos:
Seu fœta, nimbis, & tempeſtate, mouere
Armatas facibus nubes, & fulmine diro:
Seu bellis placet invıſas contundere gentes,
Seu vaſtare fame, peſtiſve afflare veneno:
Littora ad Angliadum connertit lumina, tum ſic
Orſa refert dextriſq; ſedentem affatur Ieſum.
Has ſedes tibi nate, & condita regna profundo
Annueram, & noſtro florentia littora cultu.
Et ſibi ne vanos gens impia fingat honores
Fœmineis rexi ſceptris, ductúque coegi
Virgineo, gentémq; acrem, & mauortia corda.
Non ita verna ornat ridentem purpura terram.
Non ita ſtrata iacent ceſſantibus æquora ventis.
Invidere decus reges, nec principe tanto
Alto terra polo ſubiecta ſuperbijt vlla.
Nec benefacta moror: fallit maiora daturum
Expectata fides. Scelerum contagio ſerpit,
Et peccatorum monſtris ſcatet impia tellus.
Nomen inane meum blaſphema voce profanant
Sacrilegi, quin & tua vulnera nate, tuúmque
Ridentes, multa turpant leuitate cruorem.
Excutimur templis, humanáque probra minores
Inque adytis ſanctis, raptíſque recepimus aris.
Prouolat impietas, atque effera prouocat iram
fulmináque irritat. Sceleratam excindere gentem
Quid moror, hoſtiléſque arſuræ immittere turmas?
Sentiat inverſis fatis rupto obijce ponti
Hiſpanos acres odijs, Gallóſque tumentes

Ambitione noua, laxos pandente vocatis
Oceanóque ſinus, ſubitiſque fauentibus Auſtris.
Olli ſtrata per arva cruenta ſtrage feroces
Incedant, iris veteríſque dolore repulſæ
Ardentes : confertæ acies incendia latè
Spargant funereáſque faces mortéſque per omnes
Perdat inexpertos exercita terra colonos.
Ipſe ſuper, iaculis & acuta peſte, relictos
Inſequar, infeſtóque latentes aëre prendam
Tela mihi grauidæ nubes, & ſydera cœli
Sufficient, tabémque ſuam ſtillantibus antris
Terrarum emittent ſpiracula rupta, vapores
Conſpirans fundo tetros mare mittet ab imo :
Vt tractam in ſuperas ſedes pendente ruina,
Colluuiem immanem denſiſqúe tonitrua nimbis
In caput effundant. Sic me tentate rebelles
Callabe facta, tremente ſolo dum terra dehiſcat,
Confuſúmque vno in voluat genus omne ſepulcro.
Talia dicentem Dirarum carcere laxo
Stipat ſanguinolenta cohors, pallórque tremórque,
Cædibus ira rubens & iam conceſſa moueri
Bella, doli, & ſciſſa repens diſcordia palla
Proditione potens, ſequitur quam turpis egeſtas
Et maleſuada fames plangentiáque agmina morbi
Luctúſque & macies, & fixo corde dolores.
Pone ruit Nemeſis, flammis vltricibus ardens
Terribiles ſuccincta faces, ſuccincta flagellum.
Sola cavis mæret vacuis, antríſque relictis
Inuidia. it cœlo coniuratum agmen aperto.

Finis Libri primi.

LIBER secundus.

Funera iam morteſqúe, malis mitiſsima noſtris
Ante ſecuturas, mittens exordia, clades
Omnipotens: confoſſa furente cadavera peſte
Corripit, & virus morbo immedicabile miſcet
Vltimaq; ingruerent, & deſolata repentè
Omnia, præcipitem traherent labefacta ruinam:
Ni patris inflectat mentem miſeratus amore
Filius ipſe graues pœnas, & temperet iras.
Solus qui dulcis verbi lenire loquela
Iuſtitiam immenſam atque immenſa morte minantem.
Solus adire ſinum patris: ſolúſque Tonantis
Extrahere irata flagrantia fulmina dextra.
Stat duris fixus clauis & vulnere crudo
Confoſſus. Viua deſtillant ſanguinis vnda
Divini lateris pallentiáque ora reſoluit
In cruce qualis vbi miſeranda in morte pependit,
Funera damnati redimens lugubria mundi.
Tum ſic orſa refert: quônam miſeratio dulcis.

Quo pater illa inuicta tui tolerantia ceſsit?
Quid ſupreme paras iris & turbine tanto?
Pulvereos agitare globos, tenuémque fauillam?
Nec ſatis eſt gyro vitam breuiore rotaſſe.
Et folijs fumóque pares diſpergere ventis?
Stirps hominum ſcelerata, & partu turpis in ipſo,
Pollutáque rei matrum naſcuntur in alvo.
Ne tuus ergo pater contendens ſpiritus, vmbris
Deuotos, noctíque ſuæ labefecerit: illos
Hora manet præceps, tacitáque in morte querelæ.
Quod ſi fulmineis gentem merſare procellis
Anglorum placet, & laxas immittere peſtes:
Nec meminiſſe iuvat quo dudum Martyre flevit
Terra tuam teſtata fidem: quo ſparſa cruore
Imbibit effuſas pro cæli nomine vitas:
Cum raperet ſanctos rabies incenſa furore,
Et tua Romanis arderent viſcera flammis:
Infernóne pater grataberis? hoc velit hoſtis
Humani generis vetus, hoc poſcentibus iris
Impia turba, tuis inimicáque nomina ſacris:
Debuerint pœnis animas, meritóque rigore
Iuſtitia excandens omnes conſumſerit, & te
Debita vindicibus comitetur gloria ſceptris.
An minus eſt miſereri, & iuſtæ parcere morti?
Hoc propter coleris. Magnum te debitus iræ
Prædicat, atq; animam pollutus, & incumbenti
Supplicio ereptus: nec iuſtior alter amore
Incaluit, cælóque tulit veneratus honores.
Vel ſi pœna placet maledicta in morte, tuámque
Vltima ſola valent iris avertere mentem:
Non placui pœnis, non triſti morte peremtus,
Cum lacerum furibunda cruci violentia fixit

Innocúmque

Innocuúmq; caput pallentibus appulit vmbris?
Non eſt mortis egens, aut noſtri ſanguinis, ardens
Vindicta, aut meritis ſaturanda doloribus ira:
Hic ſatis eſt ſæviſſe patrem, hæc ſi parva videntur
Adde crucem fixo, mortémq; minare ſepulto.
Sol tuus ingratis fulget, nec lumine pigro
Itqúe, reditqúe, refértq; diem cedentibus aſtris.
Iniuſtóſq; rigant cælis rorantibus imbres
Et crebris deſerta madent arentia nimbis,
Sed non molleſcit facta bonitate, ſuperbi.
Effera vis animi, nec pellere luce creata
Sol malefacta poteſt: caligat nocte retuſa
Interiore acies. illam non lucida cæli
Aſtra iuvant: roſeo non candens Solis ab ortu
Aurora, aut radijs ardens rutilantibus æther.
Tu te magne mica, tua vinci neſcia, ſpargat
Immenſum iubar ac internam gratia lucem
Non erit iniuſtus. pellet peccata refulgens
Illa dies cedéntq; ſuis damnata tenebris.
Defluat in duros bonitas tua: ſaxea molles
Pectora deponent: meſſes mutata benignas
Tum deſerta dabunt, & ſpinis improba, pingui
Florebitq; olea tellus & mitibus Vuis.
Iam meus arguitur cultus, damnóq; ſalutis
Prævalet hæretica fraudis factura repugnans,
Et dubijs perplexa fides ambagibus hæret.
Ipſe nigri cuſtos Erebi noctiſq; profundæ
Quo duce turba volat celeri temeraria cæde,
Arietat in ſtellas, illum cæleſtibus armis
Vix tecti effugiunt ſancti, nec ſpicula terrent
Fortia fulmineis verbi contorta lacertis.
Non obiecta fides clypeum: patet ægide tota

Ignitis iaculis, & denſis ictibus horret.
At tu ſumme pater mentem mutate ſecunda:
Cælorum vis magna tibi, tibi flexilis orbis
Impigra perficient famulanti iuſſa timore.
Fracta poteſtates tenebrarum inferna reſident
Tartareumqúe nefas & non narrabile letum.
Non ita diffugiunt agitata aquilone ſereno
Nubila, nec citiùs rotat incita flamine venti
Aura levem ſtipulam paleámq; citamqúe procellam.
Téne ſuper ſancta cælorum ſede tuorum
Angelicos moderante choros, cui iuſſa ſecunda,
Virtuteſqúe Throniqúe parant, volucriſqúe ſacrarum
Turba Poteſtatum & Dominantum flammeus ordo:
Tén quatiente arces nutu omnipotente ſupremas
Everſo impietas victrix dominabitur orbi?
Nec ſatis eſt prædam captas avertere gentes
Et paleam populorum, & quicquid noctis amicum
Verrit agens ſpirante dolo regnator averni:
Quin tua qua ſeptum fecit miſeratio, quaque
Signatum proprijs diſtinxit ovilibus orbem
Irruat? (hic cælo formoſum paſcitur agmen
Balat & agna tuam que concipit unica vocem.)
O prohibe, & teneram verbi ne deſtrue meſſem:
Tutandoſqúe mihi genitor tutare Britannos.
Reſpice mærentem terris potiore rapina
Iuſtitiam, tacitoſqúe pios, cultumqúe labantem
Nominis alme tui, & tua ſi non gratia vincat:
In nigra præcipitem ruiturum Tartara mundum.
Non exhauſta tua eſt bonitas & noſtra ſuperſunt
Vulnera purpureis indeficientia rivis.
Ipſe. ego ſumme pater tua ſi mihi magna voluntas
Angligenas proprio grates, tibi numine ſiſtam,

Nec gens ulla tuos æquè celebrabit honores.
Hinc tibi præcones, qui nomen in ultima terræ
Extendant laudeſquè tuas, quà frigore pigros
Hinc atque hinc, ardens ſolis via, dimovet axes.
In medio plebem cæleſti luce ſacrabo
Quæ, pretioſa tuo mandata timore faceſſat,
Te magnum ſanctumquè canat, tua conſcia veri
Numina ſola colat, mutatam pectore finget
Spiritus, inquè novis exultans gratia fibris.
Addam confertas invicto martyre turmas
Quas fera tempeſtas nec morte movebit in ipſa.
Non ſi perrupti volvantur in æquora montes.
Non ſi conſcendat vetitas ſpumans mare terras
Littoribus fractis, aut imis terra dehiſcens
Et tremefacta iugis nutantem horreſcat olympum
Tanta fides verbi. vanos reſerata furores
Tartara vaſta movent, & nigri ianua Ditis.
Non ego mortales ſine te miſeratus, amore
Prætulerim, quæcunque mea prece gratia mota eſt
Stat decori laudiquè tuæ, ſic natus in ipſo
Tempore, ſic mundo conceſſus, gentibus almum
Exhibuiquè diem, coluiquè ſalutifer orbem.
Iam, quæ tanta meis ſurgit tibi gloria cæptis
Creſcat, & ante polo ſtellarum lucidus ordo
Cedat, conſtanteſquè neget lux annua curſus
Quàm tua deſtituant iuſti præconia cultus.
Currat inoffenſo cæptum tibi nomen honore
Et cælo ſervandæ fides, nihil inde profanus
Error, nil fallax ſpeciem mentita probita
Auferat impietas, vigeat rectiquè boniquè
Sanctus amor; mediis curvatis undique cælis
Parturiatquè ſalus, & mundet gratia terra,

Eſt tibi clarorum regum de ſtirpe Stuartus,
Quem votis ardet nunc orba Britannia regem.
Non illum molles luxus, non vana tumentem
Extulit ambitio, parva ditione fidelem
Magna dotandum, quem tu pater ipſe ſacraras
Mutua quo iunctis coaleſceret inſula regis.
Hunc clauſum inſidijs tua ſola potentia, morti
Præripuit, diro, cum vis Ruthenia blanda
Proditione vocans mactandum, lumine ſepſit.
Ergo ſacris tanta non immemor ille ſalutis
Te colit Auguſtis, atque annua feſta celebrat,
Gratior oppeteret ſubito tum funere raptus,
Permiſſuſquè odijs crudelibus, & tuus vnctus
Contento hoſtiles ſatiaret ſanguine cultros:
Si tales metuit vaſtanda Britannia pœnas,
Et deſolatam placet iſtac perdere gentem.
Redde illum ſceptris, & avitis inſere regnis.
Sic tibi quas memori meditatur pectore laudes
Et magna pietatis opus: ſic iuſta ſaluti
Pignora perſolvet, cælo ſervire paratus,
Et ſanctis volucrem curis advertere mentem.
Quam tu illam aſpicies tali ſub principe terram?
Quo ſtudio? quibus ille tui fervoribus actus
Acceptum ſummo referet moderamen olympo?
Gratis honorotis pura prece ſerviet aris
Ante omnes pius, exemploquè recolliget orbem
Prævius: atque illum ſacros imitata furores
Turba coronatis ſtipabit maxima templis.
Molli lactabit pendentes vbere natos
Relligio, caſtoquè ſinu complexa fovebit.
Et pulſata tuis digitis pia pectora vatum.
Seu lyra, melliſluis reſonabunt dulcia, fibris

Audito, aerij motabunt culmina montes,
Et ſalientem vtero geſtans eccleſia partum.
Præceps impietas, & deteſtata vagorum
Colluvies ſcelerum ſtygijs damnabitur vmbris:
Nec lucem malefacta ferent, nec feſſa recenti
Terra latrocinio, gravibuſve exhauſta rapinis,
Mærebit vaſtos indigna labe colonos.
Quiſque odijs, iriſque, & ſummis viribus vrgens
Proteret omne nefas. quàm vellent ipſa priorum
Expungi ſcelerum veſtigia, quámq; benigno
Iam placuiſſe patri? ſacris devota futuris,
En tibi concipiunt placituros pectora cultus,
Et deſiderijs cæleſtibus omnia flagrant.
Dulcior O vita pater, & mihi morte vel ipſa
(Quæ tales cælo peperit matura triumphos)?
Melle favi placidiſq; mihi potiore medullis:
Hunc placidus concede diem: mecúmq; foveto
Quos non inviſos tutatus es ipſe Britannos,
Regnatáſq; ſacra iamdudum virgine terras.
Ipſa ſalus dixit. genitor cui talia fatur.
En tibi quem poſcis regem gentémq; remitto.
Tu tueare meum vigili cuſtode Stuartum.
Iunge pares Anglis Scotos, & conſere magno
Imperio populos, animis & legibus æquos.
Tantum mutato gaudebunt nomine, vtróſq;
Agnoſcat complexa Britannia Magna Britannos.
Ecce dedi imperium non vllis ante priorum
Conceſſum, veterum quot erant ab origine regum.
Ille meam memori meditetur pectore legem:
AEternùm ſceptris debebitur aurea proles
Et ſucceſſuri ſolio ſuperante nepotes.
Hæc ego certa dabo. nec plura effatus, & imis

Damnatas caveis Diras fugat, & ſuper alta
Mole premit, monteſqúe & ſaxa immania volvens
Armatum exitium ſpeluncis obruit atris.
Ardent oppoſitas fruſtra perrumpere moles
Decretæ tenebris peſtes, rabiémq; negatis
Intentant vanam mortalibus: alta retrudit
Ter quater iniectis via rupibus, & pia ſummi
Cura patris, ſolido domitas adamante coercet.

Finis libri ſecundi.

LIBER

LIBER tertius.

AVſim magna Iovis terris mandata referre,
Et tantam rudibus laudem ſignare figuris?
Nec me deficiens tardabit ſpiritus, & vox
Murmure rauca levi & torpentis ſibila linguæ?
Magne Britannorũ cuſtos, quem noſtra procellis
Quaſſa ratis, dubijſquè notis agitata, recepit
Rectorem, horriſonis iam nunc ſurgentibus vndis:
Illam non æſtus ſcopulis afflixit acutis,
Non avido ſyrtis bibit inſaturata profundo:
Non te mortalis conceſſum munere curæ
Conſtituit noſtris humana potentia ſceptris:
Ipſe pater celſum cæli qui condidit orbem
Imperium dedit, & præſenti numine firmat,
Alta reſpiciens perituros arce Britannos.
Tam ſubitanè data ceſſiſtis luce tenebræ?
An noctem timidi modo finximus? an nova mentis
Gaudia præteritos trudunt oblita dolores?
Bruma frigoribus pigris incanuit orbis.

Ille vna veris refovente refloruit hora.
Tolle caput feſſum recreata Britannia, claro
En tibi feſtivus cum Sol novus æthere fulget.
Qualem te accipimus Iacobe? quis ardor amantis
Quod ſtudium populi? placidis illabere ſceptris
Et lætum imperijs renova fælicibus orbem.
Sic fons aërij ſaliens de vertice montis,
Perpetuo vallem ſubiectum perluit amne,
Et proprio, placidis vndis, decurrit in alueo.
Accipiunt auidis labentem prata lacunis,
Et bibit humorem vegetis radicibus herba:
Exultant ripæ: tùm ſicco torridus æſtu
Dulci potat aqua deducta armenta colonus.
Non ego ficta loquor, nec fas eſt fingere: nulli
Ingenio, factum cedit. Sunt pectoris iſta
Arcana, & ſtudijs, ſunt verba ſilentia noſtris.
Quid faciunt feſtam ſpectacula læta per vrbem,
Et varium ludis ſolennibus vndique textum?
Non capit effuſos ſtratorum circulus, ipſis
Turribus & Templis inſiſtunt, quaque domorum
Tectis quáque cauis licet expectare feneſtris
Et quâ rima patet: quis tantus mentibus ardor?
Gemmea nobilitas auro collucet, & altos
Intentis ſtudijs oſtendere certat honores:
Quam circum agminibus fremit exultantibus, omnis
Ordo, ætas, ſexus. Faciem mutata nitentes,
Et perfuſa genas, tellus geſtire videtur
Veſte decora noua, & comtis veneranda capillis.
Ecce maritali lætatur fœdere, tellus
Iamdudum vidua, & ſponſum pulcherrima, caſto
Accipit in gremio, magnos oblita dolores.
Illa alios exoſa hymenæos, te ſibi ſolum

Optat, habétque colítque ducem, cui ſedulò paret
Et totis charum caput, induit corpore membris.
Sic quondam rediens collapſis ſpiritus artus
Erigit, & gelidas iam membra rigentia morte,
Iámque tepens moto pulmone refunditur aër,
Vita ruit venis, & totam fervida molem
Intus alet, ſpargítque micantes lumine vultus.
Ille regit placidum contentis legibus orbem
Purpureóque in corde ſedet. Sic munere miſſum
Divino cœlíſque datum, dextrâque potentem
Iam propiore Dei: ſic ſic decet omnia fatis
Debita complendis componere. Tenè receptum
O Iacobe, *tot ante annis belliſque revulſum*
Iungere fœderibus potuiſſe volentibus orbem,
Magnáque diffiſi divortia tollere regni?
Sanguinis effuſi non ſunt hæc præmia, nec te
Parta armis, tanto victoria tollit honore.
Non metus averſas in mutua fœdera partes
Perpulit. En votis precibúſque citatior ipſis,
Ante volánſque ſpei volucres nova gloria pennas
Iam tandem eſt reduces in ſe complexa Britannos.
O finis cauſæ caput, arcanúmque momentis.
Tangere principijs, tua te reſalutat origo
Et vetat eſſe finem; dum deſinis incipis eſſe.
Si glacialis hyems Borealibus aſpera flabris,
Cana caput, barbámque gelu concreta rigentem,
Liquitur in Zephyrum, & vernis calet aurea ſole,
Tum vario certat luxu pretioſior annus.
Angligenæ Scotíque, quibus nec gratia fratrum
Nec ſatis æternæ ius inviolabile pacis
Nec ſatis eſſe pares. (Nempe uno in corpore dulcis
Vnius & patriæ & capitis concordia iungit.)

Inuiſa

Iniußi fatis debitum [illegible] *ſolui honorem.*
Túque parens, magnæque caput ſublime Britannæ
Accipe deuotas animas, populúmque volentem.
Omne tibi geminum conſpirat robur, & vnum
Sorte, tuo ſoli iure [illegible] *datus hæres vtrumque.*
Neſcio, quid veri vulgata oracula ſpondent.
Si muro cingenda nouo peritura manebat
Anglia, poſt magni regnum ſtirpémque caducam,
Henrici, *ecce nouo nunc circumfluus vndíque muro*
Sufficit oceanus, tumidúſque hinc fluctibus, atque hinc
Indiſcreta tuæ lambit confinia terræ.
Nec mortem horrebit. Fœlix hic terminus eſto:
Occidis in magnam fatis conuerſa Britanniam.
Diua ſoli [illegible] *morte matura ſenectus*
Quam cœlo certam tulit, haud tulit Anglia raptam
Orba parente ſuo. Si ſic occumbere fas eſt
Atq; obitu dulces renouare potentius ortus;
Deſinito, ſoliúmque tuo concede nepoti.
Ante volas regum laudes & facta priorum
Virgo, ſed qui te ſequitur, te præuolet vnus
Clarior, & magnis maiora ſuperſtruat orſis.
Hinc pulſus dolor, & ſubito tua funera plauſu
Vicimus, attonitóſque vocas, vocat ecce triumphos.
Gaudia ſiccarunt lacrymas, Phœbúſque fugarit
Virgineam mundo luſtro potiore Dianam.
Sic fruere arcanis [illegible] *Britannia votis*
Quot bellis poſitura modum? quam multa laborum
Ocyùs inuicta abſterget diſcrimina dextra?
Abſunt inſidiæ, [illegible]
Frangit opes ſubito [illegible]
Obductum [illegible]
Et ſedes ſuper [illegible]

Fleuns

Flavus ager, denſiſque premit ſitu læta maniplis.
Vidimus extremas ſceptris ſuccedere noſtris
Orcadas, & dulci feritas manſueſcere cælo.
Iam fœcunda armis invitat Hibernia pacem,
Deſerit inceptum ſcelus, indomitaque rebellis
Corde, premit ſubitos, varios ſub pectore motus.
Defeſſo ſupereſt iam ſemita tota colono.
Omne ſolum intrepide peragrat levis incola paſſu.
Tuque anguſta nimis concluſaque patria nuper
Tota pates reſerata tuis & pervia dextris
Sive errare placet, ſeu quem iuvat ire ſiniſtris.
Sanguis vt in toto diffuſus corpore flexu
Venarum in toto ſalit, & nunc brachia pulſat
Mobilis, extremis nunc geſtit ludere plantis:
Aut refluit lateri atque humeris, aut micat ore;
Tandem fonte ſedet medio, cordiſque receptu
Sub thorace latens placide ſe pectore condit.
Quid non reſtituit concordia? triſtia quamvis
Terrerent animos tantum præſagia, quamvis
Horrendos tremeret labefacta Britannia motus?
O fælix quæ terra ſuos agnoſcit alumnos
Vt deſperatam ſobolem pia mater. (at illum
Diſtulit externis bellum furiale procellis.)
Poſtquam nota videt defleti pignoris ora
Attonitam ſtupor altus habet, nec gaudia amori
Sufficiunt. dulces oculis & pectore fixa
Solvitur in lacrymas, chariſque amplexibus hæret.
Dicite concordes animæ, (et millia retro
Annorum lapſi) procerum qui diſpendidit orbem?
Quæ tumidos ſciſſura dedit, quæ labe beatam
Fœdaſtis patriam? iam nec diſcrimine litum
Nec quibus [illegible] oſtendere [illegible].

Tàm facilis varias nullo diſcrimine partes
Commiſſura dedit, Balearis verbere funda
Quàm ſparſa referuntur aqua, refluentibus vndis.
Nulla ruina manet, nec vulneris vlla cicatrix.
Stant non diuiſis ſimiles, fluctuſqué reponunt
Quos indiuiduo placidum æquor marmore ſignat,
Quære quid eſſe velis gens fortunata, tuiſqué
Aude, quod facta es, ſi fas eſt vincere votis.
Non potes, ipſe amor ille tui conſultus, an vllo
Te potiore bono donaret? ſola Tonantis
Dextra vacat donis maioribus, omnia terris
Deficerent, tuqué ipſa tibi maiora petenti.
Quod ſi ingrata tui tulerint faſtidia mentem,
Nec ſatis eſt propria conſidere ſede beatam,
Quicquid ſub magno Sol deſpicit altus olympo
Aſpice, & excluſum ſecura vagare per orbem.
Heſperius aperit ſedes tibi barbara Cuſco
Et patet Eôo contenta Molucca profundo.
Oceano dominare, licet, cui littora longè
Porrigit, & quamcunqué vagis terram alluit vndis.
Hinc Aſia innumeras, illinc vomit Africa merces:
(Africa inexhauſtis ſemper ditiſſima venis
Argenti atque auri.) largo tibi thure Sabæi,
Et picturato gratantur vellere Seres.
Aſpice vt ex omni legatis parte profectis
Europen germana tibi pax, fœdere iungat,
Et tua finitimo concordia certet amore?
Iam minùs, atqué minùs cornu furibunda laceſſit
Beſtia, quæ tumidas ſibi vendicat æquoris vndas
Conceſſitqué iris, nec vaſto fulminat ore.
Te non iam dubius Gallus, te fœdere poſcit
Belga pari: hic ſocio ſemper tibi marte fidelis.

Ille tuis toties pulſus fœliciter armis.
Supplicat ipſe timor, pertæſa Hiſpania bellum,
Docta manum inſolitam meliori iungere paci.
Addunt ſe ſocios Veneti, patribuſqúe togatis
Firmandæ interſunt paci, tetricoqúe ſenatu:
Auguſtiſqúe fidem ſanctam ſponſoribus æquant.
Gens etiam quæ te crudeli Dania bello
Contudit, vltrà ipſam munus ſpectabile pacem
Vltrà & amicitias præſtat, (quæ maxima noſtris
Accedit regnis, & erit quæ maxima ſemper)
Reginam, qualis convexo candida fulget
Stella polo, aut roſeis ſurgens aurora quadrigis.
Aſpice vt Ambroſios irroret gratia vultus.
Syderei quanti reſpondent oris honores.
Solve ſinum ſceptris fœcundum Diva futuris.
(Iam tibi maturi debemus principis ortus.)
Magnorumqúe aperi ſyncera volumina regum.
Tuqúe O rege pio, tantaqúe propagine dives
Patria, primitias pacati percipe mundi.
Quid ſupereſt? totum nam pax tua poſsidet orbem.
Omnia iam tua ſunt. ſed nec ſunt omnia tanti
Quanti quod tua, facta tibi te patria debes.
Omnia viciſti hoc vno, teqúe ipſa, triumpho.
Non hæc ſunt hominum: cælo pater ipſe ſupremo
Depluit, & ſperare iubet maiora petitis.
Sed tutos meminiſſe decet tranſacta malorum.
Oblitis ingrata ſalus, propiorqúe cadenti eſt.
Vnde ruens miſeros invaſit peſtis, & ægram
Perculſit graſſans immiti funere gentem?
Contemtæ pœnas pietatis ſolvimus, illinc
In patriam clades populumqúe aſperrima fluxit.
Quo nos offenſo peccavimus? illius altam

Terra timet vocem, ſaxiſque volumina montes
Culmina verticibus trepidant : tremit aurea cœli
Machina. quid noſtrū nihil? aut ſi quid ſumus, umbra?
Flamine diſpergenda levi : nec flamine : motu
Diſſolüenda ſuo tacitóque evanida fluxu?
O patria & patriæ columen Iacobe, *labantem*
Suffulture, deo grata pietate coronam :
Lapſum redde decus templis, humiliſque tremendum
Placa numen honore, ſacriſque incumbe ſeverus.
Debita ni reddat ſumma reverentia legi,
Nulla ſalus populo. teſtantur funere triſti
Præfata exitium tot millia, jámque recentes
Morte metus dubia : non illa extrema cruento
Falce tulit tantùm, ſed gentis in arce ſuprema
Sæuijt, inquè ipſis regni furibunda medullis.
Expertíne graues iterum tentabimus iras?
Vna malis medicina Dei timor omnibus : illo
Fonte petenda ſalus, & quæ ſpes unica reſtat.
Orbem lapſa tulit ſecum : ſtabilita reponet
Relligio. quicquid ſtudijs mortalibus ambit
Cura hominum fluxum eſt. quid opes rebuſque ſecundis
Gratia? quid charis victoria læta triumphis?
Pacis honos & ſi quid pace beatius ipſa eſt,
Otia ſecuros terræ carpentia fructus.
Diuitiæ partúmque decus, celſiſque reſurgens
Gloria principibus : tanti ſunt corporis umbra.
Prædonum mentes, conſortiaque regna rapinis,
Et vos terrigenæ quos ſumma iniuria reges,
Conſtituit ſceptris, umbráque illuſtrat inani.
Iuſtitiæ extorres [illegible] *: nulla manentes*
Gratia quæ [illegible]*,*
At tu quæſitum [illegible] *ſceptris,*

Nec tantùm humano gaude ſublimis honore.
Quis ſtupet Auguſtos? aut nomina vana Monarchas,
Turcica quos ſimili rabies imitata rapina
Venatur populos & mundum [illegible] armis:
Quorum ſeu raſis expuncta eſt linea chartis.
Vna Paleſtinæ diſcreta fidelibus ora
Sceptrigero Dauide *potens, pietatis honorem*
Perpetuis probat imperijs, lumenque receptum
Mittit ad innumeros ſolio ſuperante nepotes.
Regnorum intereà tumulata cadauera putrent,
Actáque terrenos non iuuit fabula reges.
Regnis chare Stuarte *tuis, chariſſime cælo:*
Dirige conſtantes cælesti tramite greſſus.
Maior erit recto ſummi patris inſula cultu,
Quàm ſi terrarum ſceptris adiunxerit orbem.
Vos quibus arcanis rerum molimina cedunt
Conſilijs, & quos curas experta fideles
Terra colit paciſque bonos bellique miniſtros:
Flagrantem ſanctis ſtudijs incendite regem.
Et vos ô noſtris clariſſima lumina templis,
Quos pater ipſe lupos ſub ouili pelle latentes
Proſpiciens, ſumma vigiles ſacrauit in arce:
Hanc votis alacres precibúſque expoſcite curam.
Quique gregem varia ſparſum ſtatione fouetis,
Mellea queis dulci ſuadela refunditur ore,
Sollicitate ducem, quem [illegible] veſtra
Cur[illegible] memorem, & ſucceſſu [illegible] primo
Religio, [illegible] ſuſtentat vrbis.
Si noſtræ valeant aliquid præſtare camænæ:
Inſignis pietate mihi rex optime regum
Cantandus, multo ſuper aſtra fereris Olore.
Sed neque ſufficiunt tanto conamine vires,

Nec tua amant blandas vatum præconia laudes.
Salve cælorum cura, & magni decus orbis.
Quo ſine nil patria charum, nec ſe ſibi ſaluam
Te ſine ſola velit, tantô eſt pretioſior omni
Vita bono, tantô potior mens corpore magno.
Sit tibi dux Chriſtus. quo intercedente coronam
Angliacam, patrium tranſcendens culmen avorum,
Primus honorato ſublimis vertice geſtas,
Non ignara, Deum regnorum iacta fatentur
Fundamenta, noviſque relucens gloria ſceptris.
Tu verò verſis elata Britannia fatis,
Servato ſervata fidem precibúſque tremendum.
Supplicibus numen venerare, & pectore puro:
Vt proprium, vtque perenne tibi clementia cæli
Hoc velit eſſe bonum. quo nunc duce læta triumphas,
Regnantem longas videas ſecura per annos,
Illius & ſeros mundo labente nepotes.

FINIS.

BRITISH MUSEUM

20